

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus CXXXIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

A nam regni, non arefactum, sed floridum in sempiternum, quæ omnia in carnali Israele euanue-
runt. Igitur oraculi huius ueritas in solo Christo perstat, cuius regni non est finis. Sic An-
gelus dicebat: Dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, & regnabit in Domo Iacob
in æternum, & regni eius non erit finis. Externum illud Davidis regnum erat ex hoc mundo,
erat terrenum, ideoq; & temporarium, & nō æternum. Verum regnum Christi, quoniam non
ex hoc mundo, sed cœleste est, æternum sit oportet.

PSALMVS CXXXIII.

Canticum graduum Davidis.

Habet hic psalmus encomium concordie fraternæ.



Cce quàm bonū & quàm iucundum, quod fratres simul habitāt. ¹
Sicut unguentum illud bonum, quod capiti infusum defluebat ²
in barbam, barbam Aaronis: quod defluebat in oras uestimento-
rum eius.

Sicut ros Hermon, qui descendit super montes Zijonis, quoniā ³
illic mandauit Dominus benedictionem uitæ usq; in seculum.

Satis concordant omnia, nisi quod illud in uersu secundo, Quod capiti infusum defluebat, ^{LECTIO.}
&c. ab alijs sic legitur: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, &c. Et illud in
tertio uersu, Qui descendit super montes Zijonis: Vulgata latina legit, Qui descendit in mon-
tem Sion: cum sit in Ebr. *בְּהֶרְמֹן*, id est, In montes, uel montana Zijonis. Deniq; & illud, Be-
nedictionem uitæ, & in Ebræo distinctum est, & ab alijs omnibus propter eam distinctionem
legitur separatim, ad hunc modum: Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, ui-
tam in seculum. Verum facile patet cordato lectori, legendum esse coniunctim, Benedictio-
nem, uel uitæ, uel uiuentium.

Quò respexerit David, cū hunc psalmū componeret, non potest certò colligi. Nec Ebræi ^{EXPLA-}
certa tenent sententiā. Siue in gratiam illum filiorum suorum, siue populi, siue sacerdotum, & eo ^{NATIO.}
rum qui magistratu funguntur composuerit, omnino concordiam fratrum laudat & extollit.

Ecce quàm bonum.) Credibile est aliquid accidisse, unde occasione sumpserit, uelut ex re præ-
senti, & obseruabili, bonū concordie extollendi. Id ex eo uidetur innui, quod non simpliciter
dicit, Bonū est & iucundū: sed, Ecce quàm bonū, & quàm iucundum, quod fratres simul, id est
concorditer habitant. Nā hac uocula, Ecce, quasi præsentem utilitatem & iucunditatem con-
cordie fraternæ ob oculos uersantem monstrat & ostendit. Illud, quod fratres simul habitant,
non est de coniunctione locali & habitationum duntaxat, sed simul & animorum consensu in-
telligendum. Nam sine illo, melius esset disunctim habitare fratres, quàm coniunctim.

Sicut unguentum illud.) Id quod dixit, Ecce quàm bonum & quàm iucundum, duobus simili ^{Vers. 2.}
bus illustrat. Vnum, sumptum est ab oleo consecrationis, quo Aaron summus sacerdos conse-
crabatur, de quo uide Leuit. 8. Huius meminit præsentis uersu. Erat illud unguentum omniū
fragrantissimum, ideoq; & iucundissimum. Hinc illustrat iucunditatem concordie fraternæ,
quæ inde à capitibus, id est, maioribus, in inferiores & minores descendit, & totam eam con-
gregationem, domum, ciuitatem populum iucundissima concordie fragrantia exhilarat, &
suauissimè afficit, perinde atq; unguentum illud consecrationis capiti Aaronis infusum, ab il-
lo defluebat ad inferiora, barbā uidelicet, & oras uestimentorum. Sic quod concordiam fratrum
dixit esse iucundam, similitudine huius unguenti declarauit.

Sicut ros Hermon.) Hoc uersu respicit ad id, quod concordiam fraternam dixit esse ^{Vers. 3.}
est, bonam & utilem. Huius utilitatem commendat similitudine roris, qui omnium utilissi-
mus in montes Zijonis, Hermon & alios, cœlitus magno beneficio Dei decedit. Nam ea ter-
ra non irrigatur fluuijs sicut Aegyptus, sed pluuiæ & rore fecundatur. Ideo bonum fertilita-
tis illi rore cœlesti ac pluuijs constat, præsertim in locis montanis, qualia sunt, in quibus sita ^{Deut. 11.}
est Zijon, iuxta psalmum 125. Dicit itaq;: Sicut ros Hermon, id est, qui descendit in montem ^{De monte Her-}
Hermon, & sicut ros qui descendit super montes Zijonis, intellige illi uicinos, utilis est ad fer-
tilitatem, & uictum humanis usibus necessarium, sic habet & concordia fraterna. Nam ut illic ^{mō uide Deut.}
Dominus mandat benedictionem uitæ, hoc est, fertilitatem unde uiuitur in seculum usq;, id ^{3.}
est, donec hæc regio manserit: sic est & concordia fraterna utilis rebus humanis, fecundans
& prosperum reddens mortalium conuietum: ut & in illa uideatur Dominus benedictionem
uitæ mandasse, non minus quàm in rore cœlesti.

Ecce quàm bonum & quàm iucundum.) Obseruandum hic est, quanta sit corruptio cordis hu- ^{OBSER.}
mani. Conueniebat nos sic esse comparatos, ut nihil sit in omni uita iucundius homini, quàm ^{Vers. 1.}
societas hominum, & mutuus ubiq; consensus. Ipsa natura nostra hoc flagitare uidetur, ut sit
homo animal politicum, ac societatis amans. Sed ecce usq; adeo sumus corrupti, & ad dissi-

dia, lites, iurgia, studia partium ac dissensionum proclives, ut necesse ducat spiritus sanctus, hortari nos ad concordiam. Et obserua, quod non dicit: Ecce quam bonum, & quam iucundum, quod homines simul habitant: sed, Quod fratres simul habitant. Ergo & fratrum est usque adeo concordia rara, ut opus habeant admonitione spiritus sancti, qua relictis dissidijs ad concordem cohabitationem uocentur.

Deinde obseruandum est, quibus rationibus concordiam fratrum commendet. Ecce quam bonum inquit, & quam iucundum. Rationes sumptae de bono, id est, utili, & iucundo, adeo sunt crassae, ut & animale hominem permouere possint. Poterat dicere: Ecce quam iustum, quam aequum, quam Deo acceptum, habitare fratres in unum. At he rationes magis conueniunt hominibus iustis, pijs, & equi amantibus. Verum sic notatur ingenij nostri corruptio, ut opus habeamus rationibus ab utili & iucundo desumptis. Imo proditur hic, esse nos adeo peruersos ac deprauatos, ut ab eo quod non solum iustum, pium, sanctum ac Deo placitum est, sed & utile nobis, & in se uehementer iucundum, abhorreamus: & contrarium illius, quod praeterquam quod iniustum, impium & iniquum est, etiam plurimum habet nocimenti pariter & molestiarum, tam propense sectamur. Quanta uero sit concordiae fraternae utilitas pariter & iucunditas, non est praesentis instituti recensere: nec admodum necessarium uidetur, cum id sit a multis alijs praestitum. Illud optarim ex animo, ut inter Christianos utriusque sensus, & uita experientia sic obtineat aliquando concordia, ut nulla sit istarum admonitionum necessitas.

OBSER.

Verf. 2.

Sicut unguentum illud bonum.) Cogitemus in hoc uersu, primum de eo, quod concordiam fratrum unguento comparat. Iucundus est olei usus orientalibus, id quod & Euangelicis historijs declaratur. Deinde, quod illam non cuilibet oleo, sed suauissimè olenti similem esse praedicat: cuius uis ad exhilarandum & recreandum mortalium corda, admodum magna est. Sic filijs pacis nihil est iucundius ac fragrantius uera ac solida fratrum concordia. Reperias homines malos, quibus concordia fordeat, discordia suauè oleat. Hisce non competunt, quae hic à Vate canuntur. Tertiò, quod concordia fraternam confert non cuilibet bene fragranti unguento, sed nominatim illi, quo Aaron summus sacerdos consecratus est. Significat concordia iucunditatem planè caelestem esse ac sanctam. Quartò & illud obseruemus, quod non simpliciter dicit, Sicut unguentum Aaronis: sed, Sicut unguentum illud bonum, quod capiti infusum defluebat in barbam, barbam Aaronis, quod defluebat in oras uestimentorum eius. Pulchrè hoc similis depingit, quid possit spiritus concordiae, si capitibus populi caelitus infusus, ab illis ad inferiora membra defluat. Quod si capita spiritu discordiae perfunduntur, obsecro quid aliud ad inferiores defluere poterit, quam pessimum ac molestissimum dissidiorum malum? Huius rei pestem Ecclesia Christi nunquam satis deploratis est exemplis experta.

OBSER.

Verf. 3.

Sicut ros Hermon.) Hic obseruemus, quod utilitatem fraternae concordiae commendaturus, comparat eam rori caelesti. Non solum hic magna, sed & talis utilitas commendatur, quae de caelo beneficio Dei detur, nec in manibus hominum consistat. Tale est beneficium roris, tale est fraternae concordiae.

Deinde consideremus, quod roris meminit, qui descendat in montes. Clanculum innuit, hortari se uertices populi ad concordiam.

Tertiò & illud expendendum est, quod non quorumuis, sed eorum montium meminit, qui ad Zìjon pertinent. Admonemur, fratrum concordiam donum Dei esse, quod potissimum ecclesiae Zìjonis, id est, populi Dei competat.

Quartò. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem uitae, inquit, usque in seculum. Admonemur hic, utilitatem hanc concordiae fraternae primum esse ex benedictione Dei. Deinde, esse tam necessariam, quam est ea, unde uitae alimonia prouenit. Etenim sine illa conuictus humanus, & quae illi sunt necessaria, subsistere non possunt: ut taceam, quod in ea sita est etiam caelestis, ac uerè felicitis uitae benedictio. Etenim si in morte manet, secundum Ioannis dictum, qui fratrem odit: utique uitae particeps est, qui fratrem diligit.

PSALMVS CXXXIII.

Canticum graduum.

Pertinebat hic psalmus ad Leuitas, quibus ex officio incumberebat, ut noctu excubias agerent in domo Dei. qua de re uidere est Num. 18. Illos hortatur Psalter ad laudandum nomen Domini. Crediderim autem id illis fuisse moris, ut singulis noctibus in domo Dei aliquis ex illis hunc psalmum in gradus constitutus ad hoc caneret, ut reliquorum mentes ad benedicendum Dominum excitarentur.

1



Bene dicite Domino omnes serui Domini, qui noctu statis in domo Domini.

2

Leuate manus uestras ad sanctuarium, & benedicite Domino.

3

Benedicat te Dominus à Zìjon, qui fecit caelum & terram.

Qui no-